

**AD RODOLPHVM PIVM CARPENSEM S. ROM. E.
CARDINALEM OSTIENSEM ET AMPLISSIMI ORDINIS**

Decanum. Ioannes, Petrus Aloysius Prenestinus.



Vantus sit fructus in arte musica, Cardinalis Illustrissime uel commoditatis optande uel honestæ uoluptatis, facile declarant tot summis ingenij homines, qui multum ad eam Illustrandam operæ, & studij contulerunt, & ab antiquis prudenter fictæ fabulæ, quibus res etiam mutas & inænimas tradiderunt cantus iucunditate commoueri. Quare non iniuria maiores nostri sapientissimi mortales eam ueluti quoddam rerum dininarum condimentum in sacris adhiberè uoluerunt, ut quos pietas, & religio templo deduxisset eos numerosus ille uocum in tanta uarietate concentus, & canendi suauitas, uoluptate ipsa retineret. Quod si quantum industriæ uiri singulari artificio in cantilenis corruptissimis omni suauitate condiendis posuerūt tantum in carminibus diuinis exornandi cassent, aliquanto certe melius cum rebus humanis ageretur. Ego uero & si mihi debilium uitium mearū maxime conscius sum, nihil tamen habui antiquius, quam ut omnia quæ toto anno alia alijs temporibus decantantur in templis, quāta maxima possem, uenustate cantus, hominum auribus commendarem. Hoc igitur opus digum nobilitate artis, dignum hac ætate, & hoc usu, quem aliquot annis, assidua exercitatione comparaui, dignum deniq; præfecto cantorum in antiquissimo, & religiosissimo Templo D. Mariae Virginis ad niues esse duxi: quod diuturna cura, & commotatione compositum, & qua potui elaboratum industria, & hoc quantuncumq; est in me artificio expolitum, tibi patrono meo. Cardinalis Amplissime mitto, dicoq; cum ut Illustrissimo nomine tuo commendatius exeat in hominum manus, tum uero ut quocunq; officio, & ratione possum, omnibus hominibus testatissimum relinquam, à me tibi patrono optimo religiosissime omnia debere.